

1771, 6^{te} 13
33

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

SECULARI IURISDICTIONE
IN CLERICOS DELINQUENTES

QVAM

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

D. IO. AVGVSTO HELLFELD,

PROF. PVBL. ORDIN.

CONSILIARIO INTIMO REGIMINIS TVTELARIS SAXO - VINAR.
CVRIAE PROVINC. ASSESSORE, SCABIN. COLLEGII
ET FACVLT. IVRID. SENIORE.

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS PVBLICO ERVDITORVM
EXAMINI

DIE XVI. OCTOBR. CIOCCCLXXI.

S V B M I T T I T.

A V C T O R

CHRISTIANVS GVILIELMVS MELIS

GOTHANVS.

I E N A E

LITTERIS MAVKIANIS.



22

SECRETARIAT JURISDICTIONIS
IN CURIAE PALATINAE

IN BECKETO HILFENSIS PALATINAE
D. IO. AUGUSTO HILFENSIS

1782

1782

1782

1782

1782

1782





§. I.

Prologus.



Sat multa exempla et antiqua et noua historia suppeditat, atrocissima delicta non minus a clericis, quam secularibus, semper esse commissa. Salus quoque reipublicae exigit, vt delinquentes, sint clerici aut laici, praeuia inquisitione poena legibus determinata adficientur. Cuinam vero iudici, an ecclesiastico, an seculari, ius competat, inquirendi in delicta clericorum, et de eorum poenis statuendi, saepius disceptari solet. Hinc operae pretium esse putauit, si curatius disquirerem, quatenus iudex secularis in clericorum delinquentium crimina inquirere, eaque punire queat.

A

§. II.



§. II.


Clericus quis?

Dicitur autem clericus a vocabulo graeco κληρος, quod latine sortem seu hereditatem significat, ficque, si originem vocis reputamus, clericus est, qui ad domini sortem seu hereditatem pertinet (*). Sunt vero CLERICI *Christiani ad ministerium in ecclesia obeundum LL. ecclesiasticis conuenienter* destinati. Haecce destinatio inter catholicos per tonsuram (**), inter protestantes vero per ordinationem fit. Hinc clericus catholicis est, *qui primam tonsuram canonicè acquisiuit*, protestantibus vero is, *cui ordo est collatus*. Differunt igitur clerici a personis ecclesiasticis, vt genus et species. Personae enim ecclesiasticae in genere sunt omnes, ad ministeria tam sacra, quam ecclesiastica, obeunda legitime destinati. Ex his, qui vel tonsuram, vel ordinationem acceperunt, clerici, reliqui ecclesiasticae quidem personae, non vero clerici sunt. Sic in Candidatorum ministerii numerum recepti, custodes, cantores, et ludimagistri proprie non sunt clerici, licet personarum ecclesiasticarum numero sint. Improperie vero clericorum nomine generatim omnes intelliguntur personae ecclesiasticae (* *). Posterior hicce significatus nostro quoque inferuit instituto, in diiudicanda quaestione, quisnam sit iudex clerici delinquentis.

(*) c. I. dist. 21.

(**) c. 6. X. de transact. c. II. X. de aetate praeficiend. c. 1. 2. dist. 23.

De tonsura eiusque origine late differit THOMASINVS *ver. et noua ecclesiae discipl.* P. I. lib. II. cap. 37-42.(* *) САРЗОВ *inrisprud. Confessor.* lib. 1. def. 75.



§. III.

Quinam pro clericis haberi nequeant.

Quia solum Christiani, ad ministerium in ecclesia secundum leges ecclesiasticas destinati, clerici habentur; (§. 2.) factis patet, clericorum numero eximendos esse 1) omnes qui Christiani non sunt, quamuis sacerdotum nomine veniant, et tolerantur in territorio, e. gr. Iudaei (*) 2) illi, qui Christianam quidem, ast in territorio, vbi commorantur, publice haud receptam, profitentur religionem. Hinc in Germania illi, qui religioni in pace Westphalica approbatae non sunt addicti, nec clerici habentur, nec eorum iuribus gaudent. An vero clerici, qui vni ex tribus approbatis religionibus sunt addicti, vbique in Germania clericorum iuribus et privilegiis fruantur, quaestio est, de qua commodius infra dicitur.

(*) Ius recipiendi Iudaeos, electoribus vi A. B. cap. 4. §. I-3. generatim tributum, reliquis imperii statibus olim ex speciali imperatoris concessione, hodie vero omnibus, qui Regalia ab imperio habent concessa, competit. ORDIN. POLIT. FRANCOE. de anno 1577. tit. 20. §. I. von Juden verbi: Ordnen Wir, daß fübrobın Niemand Juden anzunehmen oder zu halten gestattet werden soll, dann denenjenigen, die von Uns und dem heil. Reich regalia haben. Perill. AYTRE de jure recipiendi Iudaeos.

§. IV.

De clericorum delictis iisque vel communibus vel propriis generalia quaedam.

Sicuti delictum est factum contra legem poenalem humanam susceptum; ita clericus deliquisse dicitur, qui factum con-



contra legem humanam poenalem suscepit. Et cum lex poenalis, contra quam fecit clericus, sit vel clericis solum, vel aliis quoque ciuibus lata; delicta clericorum, prout factum vel contra legem clericis propriam pugnat, vel legi cum aliis ciuibus communi aduersatur, in clericorum *propria* et *communia* diuiduntur. Omnia igitur facta, quibus clericus suo abuitur officio contra leges poenales, sunt delicta clericorum *propria*. Huc spectat, si clericus 1) indebitas exactiones, veluti nummi confessionarii, in suo facit officio 2) aliquem sine consistorii iudicio *propria* auctoritate ab vsu sacrorum suspendit, aut plane excommunicat, 3) iniurias ex suggestu euomit, 4) seditiosa verba in concione profert, 5) vitam cum honestate clericorum pugnantem agit, 6) in confessione concedita alii reuelat, etc. Huiusmodi transgressiones officii clericalis canonistae plerumque leniori vocabulo *excessus clericorum*, et malum, quod excessus sequitur, *cenfuram* vocare solent, quae in variis poenitentiis, ieiuniis, carcere, suspensione et remotione ab officio, consistit (*). Delicta clericorum *communia*, prout eorum poena in ademptione vitae naturalis vel ciuilibus consistit, aut non, sunt vel maiora, quae et capitalia (**), dicuntur, vel minora seu non capitalia.

(*) I. H. BOEHMER *iure ecclesi. protestantium* L.V. tit. 31. §. 27. sq.
SCHRAEDER *de causis fori eccles.* Tit. 12. cap. 3.

(**) caput hic intelligitur tam naturale quam ciuile.

§. V.

Ecclesia sine imperantis permissione nulla gaudet iurisdictione.

Ecclesia ad exemplum aliarum vniuersitatum collegiorumque iure gaudet determinandi ea, quae ad ecclesiae finem
com-

communem obtinendum et promouendum faciunt, eos, qui leges societatis violant, excludendi, poenasque conuentionales statuendi (*); aut sine imperantis concessione nec imperium, nec iurisdictionem, in sua exercere potest membra, ac proinde iurisdictionem criminalem, et potestatem criminari puniendi, non habet (**). Posteaquam vero facies ecclesiarum primæua ita immutata est, ut ex societate æquali fieret inæqualis, et sacerdotum quidam principatum in ecclesia sibi attribuerent, res eo deuenit, ut episcopi sub nomine audientiae episcopalis cognoscerent causas more arbitrorum, et vi legum ratum esset episcopale iudicium omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint (**). Hæcce episcopalis audientia mox in formam abiit iurisdictionis, quam non solum in personas, sed quoque in causas ecclesiasticas, exercebant episcopi, earumque numerus variis fictionum speciebus successu temporis valde auctus est.

(*) L. 4. pr. D. de collegiis DV PIN de disciplina ecclesiastica dissert. 3. prolog.


(**) PFAFF de origin. iuris. eccles. p. 38. I. H. BOEHMER iur. eccles. prot. lib. V. tit. 37. §. 27. sqq.

(***) L. 7. 8. et 13. C. de audientia episcopali.

§. VI.

Ipsi imperatores priuilegium fori clericis tribuerunt delinquentibus.

Ipsi quoque imperatores clericis, ut illis contra accusationes et vexationes laicorum melius prospicerent, fori priuilegia indulserunt. Quinque hac de re in Codice Theodosiano extant constitutiones, quibus definitur, an et quando



Episcopi et clerici coram ecclesiasticis, quando vero coram secularibus iudicibus accusari et litigare possint. Ex his ad nostrum institutum ea pertinent, quae de iurisdictione in clericum delinquentem praecipunt. Spectat huc primo Epistola *Constantii* imp. de anno 353., qua Episcopos, non vero reliquos clericos, a foro exempti seculari, verbis (*): *Man-suetudinis nostrae lege prohibemus, in iudiciis episcopos accusari: ne, dum ad futura ipsorum beneficium impunitas aestimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum, quod quispiam desert, apud alios potissimum episcopos conuenit explorari, ut oportuna atque commoda cuncto-rum quaestionibus audientia commodetur.* Hancce vero legem temporariam et ad circumstantias illorum temporum restri-ctam fuisse, non sine ratione statuit IAC. GOTHOFREDVS (**): Secuta deinde est alia constitutio *Gratiani et Valentiniani* (* *) anno 376. publicata, qua inter delicta clericorum ecclesia-stica et communia distinguitur. Illa locis suis et a suae dioe-ceseos synodis, haec vero ab ordinariis, extraordinariisque iudicibus, aut illustribus potestatibus, audientia constitui de-bent. Sub ordinariis iudicibus hic intelliguntur, Rectores prouinciarum, proconsules et vicarii. Extraordinarii vero sunt, quibus imperator cognitionem extra ordinem manda-uit. Illustres potestates sunt praefecti praetorio. Vterius adhuc in clericorum fauorem processisse, omniaque eorum delicta episcopali cognitioni subiecisse videtur, *Honorius imp. (* *) 412. constituens: Clericos non nisi apud Episcopum accusari conuenit. Igitur si episcopus, vel Presbyter, Diaconus, et quicumque inferioris loci, Christianae legis Minister, apud Episcopum, si quidem alibi non oportet, a qualibet persona fue-rint accusati &c.* Tandem cum Ioannes Tyrannus omnia cle-



clericorum priuilegia aboleuisset, et clericos indiscretim ad seculares iudices deduci iussisset, *Valentinianus III*, Placidiae filius, anno 425. clericis sua restituit priuilegia eosque ab episcopali audientia iudicari iussit (†) verbis: *Priuilegia ecclesiarum omnium, quae seculo nostro Tyrannus inuiderat, pro-na deuotione reuocamus. Scilicet, ut quicquid a Diuis principibus constitutum est, vel quae singuli quique Antistites, pro causis ecclesiasticis impetrarant, sub poena sacrilegii, seruentur. Clericos etiam, quos indiscretim ad seculares iudices debere deduci, infastus praesumtor edixerat, episcopali audientiae reseruamus. Fas enim non est, ut diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio (††).*

(*) L. 12. C. Theodof. de episcopis et clericis.

(**) in comment. ad C. Theod. notis ad L. cit. 12.

(***) L. 23. C. Theod. de episcop. eccles. et clericis.

(****) L. 41. C. Theod. eodem.

(†) L. 47. C. Th. cod.

(††) quinta Lex C. Theod. quae de priuilegio exemptionis clericorum tractat, est L. I. de religione. adde G. LEONH. BAUDIS diss. de *indole saular. ecclesiast.* §. 30.

§. VII.

Iuris Iustiniani de clerico delinquente dispositio.

Iustinianus rursus inter delicta clericorum propria seu ecclesiastica, et communia distinguit. Illorum iudicem esse Episcopum statuit. Haec vero a iudice seculari competente iudicari iubet, ita tamen, ut iudex secularis poenam iniungere nequeat, nisi prius ab episcopo clericus sit degradatus. Sic enim constituit de delictis ecclesiasticis (*): *Si vero*



vero ecclesiasticum sit delictum; egeus castigatione ecclesiastica et multa, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communiantibus clarissimis provinciae iudicibus. Neque enim volumus, talia negotia omnino scire civiles iudices, cum oporteat talia ecclesiastice examinari, et emendari animus delinquentium per ecclesiasticam multam. De delictis communibus dispositio Iustiniana haec est (**): Si tamen clericus de criminibus conveniatur, siquidem civilibus, hic, quidem competentes iudices, in provinciis autem earum praesides siue iudices, iudicent. Illud palam est, si reum esse putaverit eum, qui convenitur, provinciae praeses, et poena iudicaverit dignum: prius hunc spoliari a Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate et ita sub legum fieri manu. Alio loco Iustinianus eandem servat distinctionem delictorum, in ecclesiastica et communia. Illa episcopali audientiae simpliciter assignat. In his vero electionem permittit accusatori, an clericum coram episcopo, an vero coram ordinario iudice seculari convenire velit. Si episcopum eligit, et hic clericum delicti reum inuenit, illum praeuia degradatione ad iudicem secularem remittere debet, qui illi poenam infert lege promeritam. Si vero accusatio penes iudicem secularem facta, et crimen probatum est, iudex actorum monumenta episcopo locorum palam facere tenetur. Hic, si cognoverit, proposita omnino esse commissa, clericum ab honore, siue gradu, quem habet, separare debet. Si vero episcopus putaverit, gesta non iuste confecta, negotium ab episcopo aequae ac iudice ad imperatorem deferendum est, ut hic cognoscat et iubeat, quid fieri velit. Verba haec sunt: Si vero crimen fuerit, quod aduersus quamlibet memoratarum reuerendissimarum personarum inferatur, si quidem apud episcopum aliquis accusatur, et ipse veritatem inuenire potuerit: ab honore aut gradu

gradu hunc secundum ecclesiasticas regulas deiciat, et tunc competens iudex hunc comprehendat, et secundum leges litem examinans causae finem imponat. Si vero prius civilem iudicem adeat accusator, et crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc episcopo locorum gesta monumentorum palam faciat: et si ex his agnoscat proposita crimina commississe eum, tunc ipse episcopus hunc secundum regulas ab honore suae gradus, quem habet, separet: iudex autem ultionem ei inferat legibus congruentem. Si vero episcopus putauerit, gesta non iuste confecta: tunc liceat ei deferre, et nudare honore seu gradu accusatam personam: ita tamen, ut huiusmodi persona sub legitima cautela fiat, et ita ad nos negotium tam ab episcopo, quam a iudice, referatur, ut nos hoc cognoscentes, quae nobis videntur, iubeamus (* *).

(*) Nou. 83. praef. §. 2.

(* *) L. 24. §. 4. C. de episcop. audientia Nou. 83. cap. I. AVTH. Clericus quoque C. de episc. et clericis.

(* *) NOV. 123. cap. 21.

§. VIII.

De iurisdictione in clericos delinquentes sub imperio Francorum Regum et Carolingorum imper.

Sub Francorum imperio ante Caroli M. tempora iudex secularis simul cum episcopo de criminibus clericorum capitalibus cognouit, quod ex edicto Chlotarii Regis de anno 615. colligi posse, videtur. Hoc enim edictum disponit (*): nullus iudicum de quolibet ordine clericos de causis civilibus, praeter criminalia negotia, per se distringere aut damnare praesumat, nisi conuincitur manifestus: excepto Presbytero aut Diacono. Qui vero conuicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones di-

B

strin-



stringantur, et cum pontificibus examinentur. Deinde vero a temporibus praesertim Caroli M. crimina clericorum non apud iudicem secularem; sed in iudicio episcopali erant iudicanda. Legimus enim in Capitulari Caroli M. de anno DCCLXIX. cap. 17. () vt nullus iudex neque Presbyterum, neque Diaconum aut clericum, aut iuniorem ecclesiae extra conscientiam Pontificis per se distingat, aut condemnare praesumat. Quod si quis hoc fecerit, ab ecclesia, cui iniuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatum suum cognoscit et emendet, et alibi disponitur (**): Accusationis ordinem, Canonicis dudum regulis institutum, seruare iubemus. Vt si quis clericus in criminali vel leuiori causa pulsatur, vel in discrimine capitis accersitur, non statim reus aestumetur - - sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium episcopale veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis accipiat &c. Pro ratione exemptionis clericorum a iudicio seculari adfertur: (***) quod fas non sit, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Consensu vero episcopi seculares iudices de clericorum criminibus cognoscere et statuere potuisse, varii capitularium texus probant (†).*

(*) cap. IV. apud GEORGISCH corpore iuris Germ. p. 487.

(**) cap. 17. apud GEORGISCH l. c. p. 540.

(***) Capitul. lib. VII. cap. 436. adde leges Caroli M. et quidem L. 136. apud GEORGISCH p. 1769. 1158. Capit. lib. VI. cap. 434. Capit. lib. V. cap. 378. 390.

(***) lib. VI. cap. III. lib. VII. cap. 284.

(†) Capitul. Caroli M. et Ludouici III lib. VI. capit. 156. 164. lib. VII cap. 139. et lib. VII. cap. 145. statuitur: nec laico quemlibet clericum in seculari iudicio liceat accusare, cum priuarorum Christianorum causas Apostolus ad ecclesias deferri atque ibidem terminari praecipiat.

§. IX.

Friderici II. imper. Constitutio de iudice clerici delinquentis.

Idem forum priuilegiatum clericorum delictis tribuit Fridericus II. imperator, quippe qui constituit (*): *statuimus, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel ciuili trahere ad iudicium seculare praesumat, contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a iure suo cadat, et iudicatum non teneat, et iudex sit ex tunc iudicandi potestate priuatus.* Ex hoc textu desumpta est: Auth. *Statuimus C. de episcopis et clericis.*

(*) Friderici II. constitutiones de statutis et consuetudinibus contra libertatem ecclesiae editas §. 4. vide in fine corp. iur. Iustin.

§. X.

Iuris canonici dispositiones de iudice delinqu. clericor.

Quae pro stabilienda clericorum exemptione a foro seculari in Codice Theodosiano, capitularibus regum Francorum, et decretis conciliorum continentur, sollicitè collegit Gratianus in libro decretorum. Vi huius decreti nemo vnquam Episcopum aut alios clericos apud iudicem secularem accusare praesumat (*) et nullus iudicum neque Presbyterum, neque Diaconum, aut clericum vllum, aut juniores ecclesiae, sine licentia pontificis per se distringat aut condemnare praesumat. *Quod si fecerit, ab ecclesia, cui iniuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum agnoscat, et emendet (**).* Nam sacerdotes quasi Dii et angeli praedicantur, adeoque a terrena potestate iudicari non debent (**), nec clerici



cis quicquam publicis est commune cum legibus, sed Dei solius iudicio sunt referuati (**). Pontificum decretales (†) iidem clericos ab omni terrena potestate eximunt, ita, vt nec regi, nec alicui seculari personae permittant, iudicare clericos, cuiuscunque ordinis, siue in furto, siue in homicidio, vel periurio, siue quibuscunque fuerint criminibus deprehensi.

(*) c. 1. 3. 5. 7. 17. C. XI. qu. 1.

(**) c. 2. et 8. C. XI. qu. 1.

(***) c. 41. C. XI. qu. 1.

(***) c. 5. C. XI. qu. 1.

(†) c. 4. 8. 10. X. de iudiciis c. 2. et 14. X. de foro competente.

§. XI.

Ius decretalium, quod omnes omnino clericos eximit a foro secul., restringit concilium Tridentinum.

Si generalitatem textuum iuris canonici spectamus, omnes omnino clerici gaudent fori privilegio, quia omnes iudices prohibentur, ne presbyterum, Diaconum aut vllum alium clericum, aut minores ecclesiae sine permisso pontificis per se distringant, aut condemnent (*). Hinc illi quoque, qui in ordinibus minoribus constituti, aut saltem primam tonsuram acceperunt, in clericorum numero sunt, et delinquentes forum habent priuilegiatum (**). Multi exinde abusus sunt orti. Dum scelerati homines, vt poenas euaderent, primam impetrarent tonsuram, sicque foro se subducerent laicali, licet nunquam ministerium in ecclesia assignatum haberent (**). De hisce abufibus innumerae extant principum querelae (**), quibus ex parte medelam attulit concilium
Tri-

Tridentinum, quo statutum est (†) *nullus prima tonsura initiat, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, fori priuilegio gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiae ex mandato Episcopi inseruiat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel in vniuersitate, de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur.* Vi huius clausulae priuilegium clericale nec ob simplicem tonsuram, nec ob ordines minores, locum habet, sed insuper requiritur, vt tonsuratus vel beneficium ecclesiasticum habeat, vel habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae de mandato Episcopi inseruiat, vel clericaliter incedens in aliquo seminario de licentia Episcopi tegat, vel in habitu et tonsura incedens in aliqua Schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi versetur.

(*) c. 2. X. de foro comperente.

(**) eos, qui primam acceperunt tonsuram, fori priuilegium ex mente pontificum habere, ipsum docet PONTIFICALE ROMANVM tit. de clerico faciendo. Ibi enim pontifex tonsuratos alloquitur verbis: *fili charissimi, animaduertere deberis, quod hodie de foro ecclesiae facti et priuilegia clericalia sortiti estis.*

(***) VAN ESPEN *jur. eccles. vniu.* P. III. tit. 3. c. 3.


(***) confer. *Grauatina Germ. princip. Norimbergensia* c. 21.

(†) cap. 6. sess. 23. de reformatione apud HARDVIN. *coll. conc. T. X.* p. 140.

§. XII.

Quinam subsit episcopus delinquens.

Clericus delinquens ex principiis iuris Canonici subest iurisdictioni episcopali (§. 10.). Ipsius vero episcopi causas criminales ad concilium aliorum episcoporum deferri iussit imp. Constantius (*); quod deinde et canones conciliorum



probarunt (**). Inde in Synodis prouincialibus de Episcoporum delictis statutum est. Si vero Episcopi prouinciales dissentirent, causa ad Metropolitanum vicinæ prouinciæ deferenda erat, qui alios conuocabat iudices, vt per eos simul et per conprouinciales Episcopos, quod iustum visum fuerit, approbetur. Ast seculo VIII. et IX. mutata sunt principia, et Pontifex Romanus se obrufit iudicem criminum ab Episcopo commissorum atrocium, qualia sunt ea, quæ depositionem ab Episcopatu merentur. Reliquorum delictorum cognitio Concilio episcoporum relicta est (**). Hanc sententiam probat CONCILIVM TRIDENTINVM (**), verbis; *criminales causæ graviores contra episcopos, etiam hæresis, quod ab sit, quæ depositione aut priuatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Romano pontifice cognoscantur et terminentur. Quod si eiusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam curiam sit committenda; nemini prorsus ea committatur, nisi metropolitanis aut Episcopis a beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio et specialis sit, et manu ipsius sanctissimi pontificis signata: nec vnquam plus his tribuat, quam vt solam facti instructionem sumant, processumque conscribant, quem statim ad Romanum pontificem transmittant, reseruata eidem sanctissimo sententia definitiva - - Minores vero criminales causæ episcoporum in concilio tantum prouinciali cognoscantur et terminentur, vel a deputandis per concilium prouinciale. Hoc tamen decretum, quo causæ extra prouinciam in remota iudicia trahuntur, catholicis principibus non omnino placuit.*

(*) L. 12. C. Theodos. de episcopis et clericis.

(**) Hæc conciliorum decreta collegit VAN ESPEN *jur. eccles.* P. III. tit. 3. cap. IV.

(***) C. 7.



(***) c. 7. 9. C. 3. qu. 6. c. 2. X. de translatione episcopi.

(***) Seil. XXV. de reformatione c. 5. in collect. LABBEI T. XIV. pag. 883. sq.

§. XIII.

An laicus criminofus ob continentiam caufarum ad forum ecclefiasticum trahi queat.

Saepe quoque inter canoniftas controuerfia est agitata, an fi clericus et laicus simul crimen commiferint, ambo a iudice ecclefiastico iudicandi fint. Plures funt, qui affirmativam defendere conantur fententiam. (*) Aft alii rectius negativam probant. (**) Nam continentia caufae hic nulla est, quia diuerfae funt personae delinquentes, nec alterius caufa et persona alteri innexa est, et nihil prohibet, quo minus ecclefiasticus de delicto clerici et fecularis de laici crimine ftuant, generatim quoque ceffat forum continentiae caufarum, fi in iudice deeft potestas caufam cognoscendi. Quod accidit in iudice ecclefiastico, qui de criminibus clericorum, non vero laicorum ftatuere, eosque in poenas criminales condemnare potest. (**)

(*) MENOCHIVS de arbit. iud. quaest. Casu 371. n. 13. FARINACIVS de inquisitione qu. 8. n. 151.

(*) COVARRUVIAS pract. qu. cap. 34. FACHINEVS controuers. jur. lib. IX. cap. 31.

(**) c. 8. 10. X. de iudiciis c. 2. de foro compet. de praxi testatur Fröhlich von FROELICHSBYRG Com. ad C. C. Carol. p. 10. 11. 13.

§. XIV.

Ratione omnium criminum clericus exemptus ftatuitur a iurisdictione feculari.

Fruuntur autem clerici fecundum principia iuris pontificii

cii



cii exemptione a foro laicali ratione omnium criminum, etiam atrocissimorum. Sic enim Lúcius III. P. R. (*) *de omni crimine clericus debet coram iudice ecclesiastico conueniri*. Et coelestinus III. (***) prohibet iudicibus secularibus cognitionem de furto, homicidio, periurio aliisque criminibus cuiuscunque generis. Inde quoque statuunt, clericum, qui crimen perduellionis aut laesae majestatis in suum principem secularem commisit, ab hoc iudicari aut puniri haud posse. Principem vero, qui de facto clericum incarcerare aut punire audet, excommunicandum esse, putant (**). Insuper Pontificii ex erroneo principio, ac si exemptio a iudicio seculari clericis non ab homine, sed ab ipso Deo sit data, regulam, quod clericorum crimina seculari iurisdictioni non subint; eo extendunt, ut 1) nec consuetudo contraria, licet immemoriali tempore seruata, clericorum exemptionem tollere (***) 2) nec Papa illi in totum, sed solum in casibus specialibus, derogare possit, (†) 3) clericus suo iuri, renuntiare nequeat (††) 4) gesta coram iudice seculari ipso iure nulla sint, ita ut clerici coram seculari iudice conuicti et confessi de crimine, non sint propter hoc a suo Episcopo aliquatenus condemnandi, sed confessio et conuictio ipso iure nulla habeatur (†††). 5) controuersia, num quis sit clericus nec ne; et quatenus clericale priuilegium amiserit, non a seculari, sed ab ecclesiastico iudice sit cognoscenda et decidenda, et clericus, qui in clericali habitu captus, statim extradendus sit iudici ecclesiastico (††††). 6) Iudex secularis punire non possit clericos, etiamsi iudex ecclesiasticus fuerit negligens in illum puniendo (a).

(*) c. 8. X. *de iudiciis*.

(**) c. 10. X. eodem.

- (*) FARINACIVS *reor. et praxi crim.* qu. 8. n. 28. fqq. ROLANDVS
a VALLE *lib. 1. consil.* 4.
- (**) c. 8. X. *de iudiciis.*
- (†) FARINACIVS *l. c. n. 4. IVL. CLARVS pract. crim.* qu. 36.
- (††) c. 12. X. *de foro competente.* FARINACIVS *l. c. n. 10.* ROLANDVS
a VALLE *Consil.* 4. n. 9. Vol. I.
- (†††) c. 4. X. *de iudiciis.*
- (††††) c. 12. *de sententia excommun. 6to.*
- (a) FARINACIVS *l. c. ampliat.* 23.

§. XV.

*Casus excepti, in quibus iudex secularis de clericorum
delictis statuendi potestatem habet.*

Quamvis vero iudex secularis a iure cognoscendi et puniendi clericorum delicta iure canonico in regula sit exclusus, varii tamen sunt casus, in quibus ipsum ius pontificium iudici seculari in clericos delinquentes non denegat iurisdictionem, ita tamen, ut semper excepta sint delicta clericorum propria. Sunt autem casus, in quibus clerico delinquenti fori privilegium non competit, sequentes. I) Si relicto ordine et habitu clericali, in Apostasia, tanquam laicus conuersetur et in criminibus comprehensus teneatur (*). Quia, tanquam desertor, suo indignum se reddidit privilegio. II) Si assassinator est, vel saltim assassinii crimen mandauerit aut participaue- rit. (**). III) Si post delictum commissum, ut iudicium seculare eludat, et poenam effugiat, in clericorum ordinem tran- sit (**). IIII). Si primam saltim tonsuram aut ordinem mi- norem accepit, nullum vero beneficium habet, nec in ec- clesia seruitium ex episcopi mandato praestat, nec sine licen- tia episcopi in seminario clericorum vel vniuersitate quadam

C

com-



commoratur (§. II.). V) Si salus publica celerrimam poenae executionem in clerico delinquente exigit, utpote, si clericus est perduellis et seditiosus, ita ut publica periclitetur, nisi celerrime clericus e medio tollatur, quo casu ius defensionis omni iure, etiam diuino, necessariam facit executionem, et ipsum ius canonicum illam permittit. (***) VI) Si pontifex in singulari casu iudici seculari ius cognoscendi et puniendi clericum permittit. Leges enim ecclesiasticae solum iubent, ne secularis iudex, sine consensu pontificis clericum per se distringat aut condemnare praesumat (†). VI) Si bigamus fit clericus (††).

(*) c. I. X. de apostatis et GONZALEZ TELLEZ in hunc textum.

(**) c. I. X. de homicidio in 6to.

(***) FARINACIVS l. c. qu. 8. n. 104. sqq.

(***) c. 23. X. de sententia excommunicat.

(†) c. 2. X. de foro competente.

(††) c. I. de bigamis 6to.

§. XVI.

Secularis iudex clericum punit ab ordinibus depositum.

Tandem quoque secularis iudex ex principiis iuris pontificii clericum delinquentem iudicare et punire potest, si ab ordinibus est depositus (*). Est autem DEPOSITIO *privatio status clericalis et privilegiorum exinde pendentium*. Hancce depositionem, prout status clericalis, vel adhibitis ceremoniis, vel sine iis per *nadam iudicis ecclesiastici sententiam fit, in verbalem et realem* diuidunt (**). Realis seu solennis depositio in specie vocari solet *degradatio*, cuius solemnia et textus iuris canonici (***) et pontificale Romanum (***) tradunt. Vtraque depo-



depositio tam realis, quam verbalis, clericum iuribus et priuilegiis clericalibus priuat, eumque in statum redigit laicalem. (†) Amisso vero statu et priuilegio clericali, nulla superest ratio, cur iudex secularis clericum delinquentem depositum non possit in carcerem detrudere meritaque afficere poena (††). Ast licet haec ita sint, et clericus per depositionem verbalem iuribus et priuilegiis clericalibus sit priuatus, fieri tamen potest, vt depositus vitam emendet, ideoque suo restituatur ordini. Quam ob rem canonistae statuunt, verbaliter depositum manere sub protectione ecclesiae, eamque ob causam iudici seculari nullam in eum competere iurisdictionem. Hanc demum accipere iudicem secularem, si facta degradatione accedat actualis traditio. Pro stabilienda hac sententia prouocant ad decretum COELESTINI III., quo haecce continentur: (†††) *respondeo, quod si clericus in quocunque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel periurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime atque conuictus, ab ecclesiastico iudice deponendus est. Qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde, contumacia crescente, anathematis mucrone feriri: postmodum vero, si in profundum malorum veniens contempserit, cum ecclesia non habeat ultra, quod faciat, per secularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur.* Prouocant porro ad decretum INNOCENTII III, quod constituit: ne clericus degradatus per consequentiam foro seculari applicatus habeatur, sed vt degradatio celebretur potestate seculari praesente ac pronuntietur eidem, facta degradatione, vt in suum forum recipiat degradatum, pro quo tamen ecclesia efficiater intercedat, vt citra mortis periculum circa eum sententia moderetur. Ast male mihi cohaerere videtur pontificiorum philosophia.

C 2

Contra dicere





dicere sibi videtur, eum, qui ordine et privilegio clericali priuatus existit, privilegii adhuc frui clericalibus. Inuentum hoc aperte vergit in fraudem iurisdictionis secularis, et legibus defendi nequit. Nullibi leges dicunt, quod depositus seu degradatus iura clericalia retineat, sed hoc solum cauent, ne iudex ecclesiasticus clericum quemlibet depositum iudici seculari tradat. Diuersa vero sunt, tradere depositum iudici seculari, et hunc prohibere, ne officio suo in puniendo clerico privilegii priuato vtatur.

(*) c. 4. et 10. X. de iudiciis.

(**) GONZALEZ TELLEZ ad c. 10. X. de iudiciis n. 13.

(* *) c. 2. de poenis in 6to.

(* * *) Sub titulo ordo suspensionis, depositionis et degradationis p. m. 363.

(†) de reali depositione non est dubium, quin clericum priuet statu clericali. Ast eundem effectum habet depositio verbalis. Quod vel ipsa docet formula depositionis verbalis in pontificali Romano l. c. quæ hæc est. *Quia nobis euidenter et legitime constat, te tale crimen seu flagitium commisisse, quod non solum graue, verum etiam damnabile est, et damnosum, id circa de talium consilio et assensu ab omni ordine et privilegio clericali te sententialiter perpetuo duximus deponendum et deponimus.*

(††) GONZALEZ TELLEZ ad c. 10. X. de iudiciis n. 14. 15.

(†††) c. 10. X. de iudiciis.


(††††) c. 27. X. de V. S.

§. XVII.

Continuatio et refutatio paragraphi antecedentis.

Separandæ igitur sunt quaestiones. Prima est, an iudex ecclesiasticus clericum delinquentem depositum tradere teneatur? Et hæc quaestio in regula neganda videtur. Cum enim

enim ecclesia abhorreat a iudiciis, in quibus de capite hominis agitur (*), semperque poenitentiam et emendationem vitae speret; ab illa exigi non debet, ut tradat clericum tamdiu ac spes emendationis adhuc superest. Hinc non debet Episcopus quemlibet depositum pro suis excessibus iudici tradere seculari, sed expectare tenetur poenitentiam. Hac secuta, de adulteriis et aliis criminibus minoribus episcopus cum clericis potest dispensare et deposito ordines amissos restituere (**). Si vero poenitentia et vitae emendatio non sequitur, depositus pro incorrigibili habetur, et excommunicatur, deinde, contumacia crescente, anathematis mucrone feritur, et tandem, cum ecclesia ultra non habeat, quid faciat, per secularem potestatem comprimi debet (* *). Ab hac tamen regula excipiendi sunt casus, quos supra (§. 15.) exposuimus. In his enim traditionem, nulla licet facta degradatione, iure exigit iudex secularis. Alia rursus quaestio est, an clericus delinquens depositus iure tradi possit? Quamuis enim in regula non sit tradendus clericus iudici seculari, quidam tamen sunt casus, quibus ecclesiastico hoc permittitur. Talem permissionem habemus in iure canonico 1) si clericus in heresim est relapsus (* * *), 2) si falsum commiserit circa literas Apostolicas (†) 3) si in Episcopum conspirauerit (††) 4) si incorrigibilis est, id est, si post depositionem et excommunicationem vitam non emendauerit, sed in profundum malorum venerit (†††). A duabus vero hisce quaestionibus illa differt, an iudex secularis clericum depositum iterum delinquentem custodiae tradere, illique poenam infligere possit promeritam? Quae omnino affirmanda videtur. Clericus enim depositus, privilegii clericalibus existit priuatus, sicque iure ad forum prouocare nequit priuilegiatum. Est



quoque incorrigibilis, dum de nouo deliquit. Et licet spes restitutionis sacrorum ordinum illi superfit, et eatenus in ecclesiasticis episcopali subfit iurisdictioni, tamen cum privilegiis clericalibus fit priuatus, iudex secularis non impeditur, quo magis suo satisfaciat officio in puniendo facinoroso homine. Nec obstant textus iuris canonici allegati, quippe qui de alio casu, illo nempe, quo clericus tradi debet iudici seculari, loquuntur. In proposito vero casu non de traditione agitur, quam non exigit iudex secularis, cuius sub custodia existit clericus depositus (†††).

(*) c. 5. X. *ne clerici vel monachi* CHRIST. de NETTEBLADT de *ecclesia sanguinem non siccante.*

(**) c. 4. X. *de iudiciis.*

(***) c. 10. X. *codem.*

(***) c. 15. X. *de haeresicis.* c. 4. *codem* 6to.

(†) c. 7. X. *de crimine falsi.*

(††) c. 8. C. XI. *qu. 1.*


(†††) c. 10. X. *de iudiciis.*

(††††) c. 1. de *Apostatis* c. 27. X. *de privilegiis et excess. priuul.* GONZALEZ TELLEZ ad c. 10. *de iudiciis.* n. 14. sq.


§. XVIII.

An secularis iudex in clericum nondum depositum iurisdictionem criminalem exercere queat?

An vero iudex secularis in clericum, qui nondum depositus est, aſt enormia delicta, id est poena capitali luenda, commiſit, iurisdictionem exercere queat criminalem? inter canonici iuris doctores diſputari ſolet. Mihi in caſibus, de quibus diſpenſare nequit epicoſopus, quales omnia delicta enor-



enormia fiunt, affirmatiua placet sententia (*). Nam 1) clericus, qui enormissima delicta committit, se indignum reddit privilegio clericali, et ipso iure degradatus haberi debet (**). 2) ius canonicum statuit, clericum ipso facto suo se priuare posse privilegio (**), 3) si aliter statueres, leges publicae, et poenae in eorum violatores statutae, suo destituerentur effectu, et imperans, cuius est totam rempublicam defendere, singulaque eius membra praestare secunda, contra clericorum audaciam ciuitatem eiusque membra tueri non possit. Quod si enim absurdas canonistarum interpretationes sequeremur, clericus, qui atrocissima crimina, perduellionem, latrocinia, homicidia, incendia, stupra et adulteria violenta, commisit, modo in habitu clericali incedat, semper a poenis, lege publica statutis, erit immunis. Nihil praeter depositionem illi metuendum foret, semperque spes remanebit, poenitentia et emendatione vitae recuperandi restitutionem. Nec obstant textus iuris canonici, quos dissentientes pro sua allegant sententia. Hi de traditione a iudice ecclesiastico seculari facienda intelligendi sunt. Nec prohibent iudicem secularem, suo vti officio in persequendis puniendisque facinorosis hominibus. Si aliam facis interpretationem, vim facis imperio summo, eique auferes ea, quae salua reipublicae securitate auferri nequeunt. Nec obici potest, quod clericus suum prorogare nequeat forum. Quia haecce regula in prorogatione mere voluntaria, non in necessaria, applicari potest, et multa licita sunt per consequentiam, quae expresso pacto non sunt permessa. Antequam vero iudex secularis contra clericum nondum depositum ob atrocissima crimina ad capturam et inquisitionem procedere potest, necesse est, ut criminofus de crimine aut
con-



conuictus, aut saltem iudiciis proximis satis sit grauatus. Consilii quoque ratio postulare videtur, ut ante sententiae criminalis executionem iudex cum Episcopo monumenta actuum communicet, iuncto petito, ut Episcopus clericum iam ipso facto suis priuilegiis priuatum; quatenus opus videri posset, degradare velit. Episcopo vero petita negante, causam deferat ad imperantem, et ex huius praecepto sententiam executioni mandat. Huncce modum iam approbavit ius Iustinianeuum (***)

(*) eandem sententiam defendunt plures Doctores pontificiae religioni addicti. DAMHOVDER *prax. crim.* cap. 37. n. 26. ALEX. DE NEVO *consil.* 59. n. 2. DECIANVS lib. II. *consil.* 82. FARINACIUS postquam late varia exposuit dubia, tandem fatetur, qu. 8. n. 54. *sqq.* communem et in praxi receptam et ad refrenandam clericorum audaciam seruandam esse sententiam, quod clericus enormitatibus se commiscens puniri possit a iudice seculari.

(**) L. 12. C. de dignitatibus, nec priuilegiis uti queunt, qui aliis vim inferunt et nocent NOV. 17. c. 5.


(***) c. 16. de vita et honestate cleric. c. 1. X. de Apostatis. c. 25. X. de sentent. excommunicat. c. vn. de bigamis 6to c. 2. X. ne clerici vel monachi.

(***) NOV. 123. c. 21.

§. XIX.

Iurisdictione ecclesiastica abutuntur Episcopi.

Ex iis, quae haecenus dicta sunt, patet iurisdictionem ecclesiasticam, quam ex imperatoris priuilegio clerici obtinuerunt, ab Episcopis nimis esse extensam. (*) Episcopi enim, quibus iurisdictione imperio ciuili subordinata ex imperatorum beneficio erat concessa, (§. 7.) imperium excogitarunt eccle-


 cleasticum, majus et eminentius imperio ciuili, et ab omni terrena hominis potestate exemptum, cui omnes omnino, imo ipsos imperantes, subiectos statuunt (**). Summum sibi elegerunt imperantem ecclesiasticum, qui antiquam sedem imperatoriam, Romam nempe, eiectis imperatoribus, occupauit, et in hocce folio constitutus ipsos imperatores, Reges et principes ad suum vocare tribunal, iisque jus dicere, leges ferre, et de his dispensare non erubuit (*). Sub hocce imperio pontificio et episcopoli clerici ab omni terrena potestate exempti viuunt (§. 10.), et pro miserabili habetur infania, si secularis potestas Christi sacerdotes sibi conetur subiugare, aut suae potestati subiicere, cum tamen nosse oporteat, vt his non solum in terra, sed etiam in coelis, se posse ligari et solui (**). Anathematis metu obligant Reges et principes, vt in suis regnis et principatibus homines tolerant, qui amplissima praedia possident, diuitias corradunt, et omnes subditos sibi obstrictos tenent, nec tamen tributa soluere, nec legibus in securitatem territorii et ciuium latis conuenienter viuere, nec poenas, atrocissimis licet criminibus promeritas, subire volunt. Persuadere cupiunt imperantes seculares, quod ferre teneantur incolas habitu clericali incedentes, licet sint perduelles, homicidae, sodomitae, seditiosi, incendiarii et flagitiosissimi homines. Statuunt hosce ciues terrena potestate coerceri non debere, eorumque flagitiis praeter depositionem ab ordine et beneficio nullam statutam esse poenam, eosque, non nisi ab Episcopo suo statu priuari posse, simul tamen dispensandi et restituendi potestatem habere episcopum (§. 17.).

(*) de hac extensione conqueruntur Evangelici in Augustana Confessione artic. 28. et art. Schmalcald. tit. *von der Bischöffe Gewalt und Iurisdiction.*



(^{**}) Sic CLEMENS III. c. 4. X. de maior. et obedientia: omnes principes terrae et caeteros homines Episcopis obedire, beatus Petrus praecipiebat. Et INNOCENTIUS III. c. 6. X. eodem: non negamus quidem, quin imperator praecellat in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus antecellit: quae tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima praefertur corpore, et porro: fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quae sunt Pontificalis auctoritas et Regalis potestas - - quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et Reges differentia cognoscatur.

(^{* *}) Clement. 2. de sententia et re iudicata. Confer. acta inter Alphonsum et Richardum, electos Reges Romano Germanicos, apud LEIBNITIVM prod. Cod. iur. gent. dipl. n. 14. adde CYPRIANI Belehrung von Pabsthem cap. 21.

(^{* * *}) c. 31. C. 2. qu. 7.

§. XX.

Argumenta pontificiorum pro tuenda exemptione clericor.

Pro tuenda vero clericorum ab omni terrena potestate exemptione asserunt pontificii, imperium ecclesiasticum et exemptionem clericorum immediate a Deo esse (*). Utuntur in hanc rem nonnullis S. S. dictis. Prouocant nempe 1) ad verba Saluatoris nostri, quibus Petrum allocutus est (**): *dabo tibi claves regni coelorum, ac quicquid in terris ligaueris, erit ligatum in coelis, et quicquid in terra solueris, erit solutum in coelis* 2) ad textum ex Epistola prima ad Thimotheum (^{* *}) *aduersus presbyterum accusationem noli recipere* 3) ad locum ex Epistola prima ad Corinthios (^{* * *}). *Spiritualis homo iudicat omnia, ipse vero a nemine iudicatur.* 4) Leuitis veteris testamenti se comparant. Hos autem non Regi, sed summo pontifici subfuisse, asserunt, allegantes locum ex Psalmis: *nolite tangere mihi consecratos* 5) dicunt, quod clerici sint pars hereditatis

tatis domini, fors ipsius, gens improfana, sacrata, regale sacerdotium et genus electum. 6) ab imperatoribus piis et pontificibus eximiam hancce episcoporum potestatem esse confirmatam et approbatam.

(*) c. 10. X. de iudiciis.

(**) Matthaei XVI. v. 19.

(***) I. ad Thim. V. v. 19.

(***) I. Corinth. 2. v. 15.

§. XXI.

Refutantur principia pontificiorum §. anteced. proposita.

Principia, ex quibus pontificii imperium independens ecclesiasticum probare volunt, admodum leuia et a nostratibus iam satis refutata sunt. Verus enim Dei cultus, quippe qui, non vero hypocrisis, finis ecclesiae essentialis est, ex interno cordis affectu proficiscitur. Interna vero hominis, quia ab intellectu pendent, omnem respuunt coactionem, ideoque verus Dei cultus non magis, ac Philosophia, imperio subest. Quatenus vero ciues consensu, vel expresso vel tacito, Deum colendi causa in societatem coierunt, sicque ecclesiam constituunt, illis quidem iura omnibus societatibus, quae ex approbatione imperantis in ciuitate existunt, communia denegari nequeunt, sicque statuta salutis reipublicae ejusque legibus prohibitiuis non repugnantia condere, et membra, quae his et fini societatis conuenienter haud viuunt, ex societate excludere et eatenus coercere, imo et quibusdam societatis membrorum directionem quandam deferre, iurisdictionem vero et imperium sine imperantis voluntate non magis, ac alia collegia in ciuitate, sibi arrogare possunt. Haec sunt principia, quae

D 2

Chri-



Christus suis tradidit Apostolis, quaeue hi sancte seruarunt, suisque incalcarunt successoribus. Sic enim Christus suos Apostolos, quorum cogitationes honores terrenos spirabant, alloquitur. (*) *Principes gentium dominantur, et qui majores sunt exercent potestatem inter eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* et alio loco, (**) Christus occasione contentionis inter apostolos super praelatione orta definit, verbis: (***) *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat minor et qui princeps est, sicut ministrator.* Paulus (***) omnem omnino animam potestatibus sublimioribus subditam declarat, omnibusque, nemine excepto, iniungit, ut subditi sint potestatibus, iis reddant debita, vectigalia et tributa. Petrus quoque presbyteris praeceptum tradit: (†) *pascite gregem, non coacte sed spontanee, neque ut dominantes,* et alio loco (††) *subiecti estote omni humanae ordinationi propter Deum: siue Regi, quasi praecellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis.* Quomodo igitur Monarchia ecclesiastica stare potest cum principiis sanae rationis et sacri codicis? Sane dicta scripturae, quae in hanc rem a pontificiis afferuntur, nil conficiunt. Nam ad 1) ex verbis Christi, *dabo tibi claves regni coelorum,* frustra imperium vel iurisdictio deducitur. Christus, qui a Pilato interrogatur, num Rex sit, ipse profitebatur, meum Regnum non est de hoc mundo, quive suis, ne ad dominatum adspirarent, interdixerat, sine dubio iis imperium summum, ut et iurisditionem, concedere noluit, et claves coelorum, quas Apostolis tradidit, nihil aliud sunt, quam potestas soluendi et ligandi peccata. Ad 2) absona est probatio ex verbis, *contra*

tra presbyterum accusationem ne recipito, desumpta. Nam in hoc textu non statuitur, ne accusatio contra presbyterum recipiatur, sed solum praecipitur, ne recipiatur accusatio, nisi satis probata sit, et generatim hic textus non potest intelligi de accusationibus in forma iudicii factis. Iudiciaria enim potestate apostoli erant destituti, nec vnquam illam adsecurantur. Ad 3) peruersa est interpretatio dicti: *spiritualis homo a nemine iudicatur*. Sermo hic non est de iudicio, quo causae deciduntur, sed de iudicio, quod ex intellectu prouenit, vi cuius homo spiritualis a spiritu sancto illuminatus ea, quae spiritus sancti sunt, cognoscit et iudicat, alii vero de eo iudicare nequeunt. Ad 4) a Leuitis argumentum duci nequit ad nostros clericos, et si vel maxime duci posset, nihilominus falsum esset, Levitas non subfuisse Regi. Aaron, summus sacerdos, mandata per Mosem accipiebat. Et Salomon condemnauit summum Pontificem. Inde simul patet, locum ex Psalmo desumptum, noli tangere meos Christos, vetare quidem, vim inferre sacerdotibus iniustam, minime vero eorum exemptionem ab imperio civili probare (†††) ad 5) licet vel maxime sacerdotes partem hereditatis et fortis dominicae dixeris, Deus tamen iussit, vt omnes omnino homines, sicque profani et improfani, et qui fortis sunt domini, Regi et magistratibus sint subiecti. Ad 6) verum quidem est, imperatores, Reges et principes episcoporum potestatem agnouisse, iisque eximia dedisse priuilegia. Ast ex errore hoc factum et a clericis per sub et obreptionem impetratum. Ob summam vero ingratitude, qua clerici sibi a principibus concessa priuilegia pro talibus non agnoscunt, sed ab ipso Deo summum in omnes principes imperium sibi darum esse fingunt, vt et ob detestandum abusum, concessis priuilegiis iure meritoque cle-



rici priuari, illa restringi, et in pristinos limites arceri queunt. Pontifex vero clericos ab imperio ciuili eximere iure non potuit.

(*) *Matthaei* 25, v. 24. *Iohannis* 18, v. 36.

(**) *Lucae* 22, v. 24.

(***) *Paulus ad Romanos* cap. 13, v. 1-6.

(****) *I. Petr.* 5, v. 1. 2. 3.

(†) *I. Petr.* 2, v. 3.

(††) *Leuit.* 6, v. 9. *I. Reg.* 2, v. 26. 27. *ARNISAEVS de subiectione es exemptione clericorum* c. 3, n. 3. *MICHAELIS Mosaisches Recht* §. 58.

§. XXII.

Recte faciunt imperantes, qui limitant Episcoporum iurisdictionem in clericum delinquentem.

Vi principiorum in paragrapho antecedente proposito nimiae extensiones, quas circa iurisdictionem ecclesiasticam excogitarunt clerici, eorumque affectae, ab imperantibus possunt tolli vel restringi. Huiusmodi limitationes praecipue requirit iurisdictionem, quam in delinquentes clericos sibi tribuunt Episcopi. Contradictionem inuoluit, iurisdictionem permittere ei, de quo constat, quod leges in securitatem ciuitatis eiusque membrorum latas eludat, vel eas ob principia, quibus addictus est, non seruare possit. Hoc euenit in Episcopis, qui in clericos delinquentes sibi arrogat iurisdictionem criminalem. Hi clericum, etiam atrocissime delinquentem, promeritis poenis non afficiunt, nec afficere possunt. Ad summum, clericum delinquentem ab ordine deponunt, et expectant poenitentiam. Hac secuta, poenae lege statutae cessant. Si poenitentia non sequitur, et in peccatis perseuerat delinquens, ad excommunicationem quidem



dem proceditur, ast praeterea nihil. Tandem si in profundum malorum incidit clericus, derelinquitur et traditur.

§. XXIII.

In Gallia hoc factum est.

Iure, quod in praecedente paragrapho principibus vindicauimus catholicis, reuera vtuntur Reges Galliae. In Gallia enim de clericorum delictis grauioribus poenam capitalem vel saltim corporis adflictuam inferentibus iudicat secularis iudex, vt et in delictis leuioribus, quae priuilegiata vocant, iudex ecclesiasticus simul cum seculari statuit (*). De hisce delictis, quae in Gallia priuilegiata dicuntur, legi merentur verba Clerici pontificii CLAVDII DE FLEVRY (**): scribentis: *prima VII. vel VIII. secula nihil suppeditant causae, quare clericorum capitaliter peccantium iudicium seculari iudici dene-gandum censemus. Deinde spuriae decretales laicis omnem cog-nitionem de rebus moribusque clericorum abstulerunt. Hoc clypeo tuti clerici, quum fere impune peccarent, priuilegii cleri-calis praecipua cura poni cepit in subtrahendis iudici reis: -- In-terim iudices ecclesiastici, remissius crimina punientes, leuibus poenitentiis contenti, raro eos curiae seculari tradebant, qui Ro-mae facili negotio non veniam solum, sed et pristinum gradum, si qui deiecti essent, impetrabant. Vnde publicae securitatis causa iudices seculares crimina atrociora excipienda esse censuerunt, ac suae cognitioni, saltim coniunctim episcopo subiicienda, atque haec quidem ea sunt, quae vulgo casus priuilegiati appellantur. Nam quia priuilegium clericorum naturam iuris communis induerat; id quod olim iuris communis fuerat, nunc priuilegium audit.*

(*) VAN





(*) VAN ESPEN *iur. ecclesi uniu.* P. III. tit. 3. c. 2. §. 30.

(**) *institution. iuris Canon.* P. III. cap. 14. §. 1. 2. 3.

§. XXIV.

*Iurisdictio Episcoporum ecclesiastica cessat in territoriis
A. C. addictis.*

Simili modo territoriis Augustanae confessioni addictis ea obtigit felicitas, vt a iurisdictione Episcoporum ecclesiastica sint libera. Vi enim pacis religiosae (*), ecclesiastica iurisdictione aduersus Augustanam Confessionem, religionem, Constitutiones et ministros ecclesiasticos, ritus, ordinationes et ceremonias institutas, siue instutuendas, vsque ad finalem religionis compositionem non exerceri, sed quiescere atque suspensa esse et manere debet. Et clarius adhuc instrumentum pacis Osnabrugensis disponit, (**) verbis: *tota iurisdictione ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanae confessionis Electores, principes, status, comprehensa libera imperii nobilitate, eorumque subditos, tum inter catholicos et Augustanae Confessionis addictos, quam inter ipsos solos Aug. Confess. status vsque ad compositionem Christianam dissidii religionis suspensa esto, et inter terminos territorii cuiusque jus Dioecesanum et iurisdictione ecclesiastica se contineat.* Sicuti et in iis ciuitatibus imperii, in quibus mixtae religionis exercitium in vsu est, catholicis episcopis contra ciues Augustanae Confessionis nulla esse debet iurisdictione (*.*). Cum igitur vi harum legum imperii in terris Euangelicorum, vt et in ciuitatibus imperii Evangelicae religioni tam pure quam mixtim addictis tota iurisdictione ecclesiastica cum omnibus suis speciebus sit suspensa; sequitur, vt in terris Euangelicorum illud forum priuile-



uilegiatum, quod ante pacem religiosam et Westphalicam clericus delinquens coram suo Episcopo habebat, omnino cesset, sicque clericus delinquens forum coram ordinario iudice criminali habeat, illudque declinare non possit, nisi forsan ex nouo domini territorialis priuilegio sit exemptus, vel pactis aliter sit conuentum. Hinc clericus catholicus in territorio status euangelici delinquens et deprehensus ad forum sui episcopi prouocare nequit, sed, deficiente pacto, vel priuilegio aliter disponente, ab ordinario iudice criminali contra delinquentem clericum sententia pronuntiatur, et poenae peragitur executio, non expectata depositione vel degradatione (* * *).

(*) pax religiosa artic. 7.

(**) I. P. O. artic. V. §. 48.

(*) I. P. O. artic. V. §. 49.

(***) LYDOVICI *Einleitung zum ConsistorialProceß* Cap. V. §. 41.

§. XXV.

Principes euangelicae religioni addicti vi superioritatis territorialis iurisdictionem ecclesiasticam exercent eamque in rem Consistoria habent ecclesiastica.

Status imperii in suis territoriis gaudent superioritate territoriali. Vi huius omnia, quae ad salutem et securitatem intrinsecam et extrinsecam territorii faciunt, determinare possunt pro arbitrio, nisi lex vel conuentio obstat. Inde, cum salus et securitas ciuium intrinseca potissimum bonis legibus et exacta iustitiae administratione promoueatur, statibus imperii potestas iudicia ordinandi et cuiuslibet causarum generi suum assignandi iudicem, non potest denegari. Et

E qui-





quidem hancce judicia constituendi potestatem, nisi lex vel conventio impediatur, status exercent pro arbitrio. Suspensa igitur per leges imperii publicas in statuum territorii, et ditionibus nobilitatis immediatae, jurisdictione ecclesiastica cum omnibus suis speciebus, nulla amplius lex vel conventio, nisi forsitan nova et specialis sit, existat, quae impediatur status, exercendi ea, quae superioritati territoriali per se insunt, nempe potestatem causis ecclesiasticis certum iudicem constituendi, seu forum assignandi, quo iurisdictio exercetur ecclesiastica. Et cum usu loquendi recepto collegium, quod causas ecclesiasticas tractat, consistorium vocari soleat, statibus imperii jus consistoria constituendi, et per haec jurisdictionem ecclesiasticam exercendi, vi superioritatis territorialis competit, quod et ipsa pax Westphalica satis probat. Dum statibus liberum iuris territorialis exercitium, tam in ecclesiasticis quam politicis, firmatur, ita, ut a nullo unquam sub quocunque praetextu turbari possit vel debeat (*). Non igitur opus est, ut cum Ictis (**), quibusdam, alias probatis, singas, status imperii euangelicos jurisdictionem quidem civilem jure superioritatis habere, aut ecclesiasticam jure Episcopi summi iis competere. Frustra haec principia defenduntur, praesertim, cum ipsis Episcopis, quae talibus, nulla competat iurisdictio, nisi ex concessione imperantis.

(*) I. P. O. artic. VIII. §. I.

(**) Sunt in hac haeresi politica MATTHIAS STEPHANI tr. de jurisdictione lib. III. P. I. c. I. CARPZOV jurispr. Consistor. lib. III. def. 3. REINKING de regim. secul. et ecclesiastico lib. III. Class. I. cap. 10. n. 3. aliique plures.

§. XXVI.

Ordinationes ecclesiasticae determinant, quatenus causae criminales clericorum ad consistorium pertinent.

Sicuti vero constitutio consistorii eiusque ordinatio deficiente pacto ab imperantis arbitrio pendet, ita quoque imperantis est, determinare causas, in quas consistorii iurisdictione se extendere debet. Hinc imperans potestatem, crimina clericorum, tam propria quam communia, leuiores et grauiora, cognoscendi et puniendi, vel consistorio, vel iudici politico potest assignare. Si igitur quaestio est, de quibusnam criminibus consistorium et de quibus iudex politicus statuere queat, ordinationes principum ecclesiasticae sunt inspiciendae. His deficientibus, in subsidium jus canonicum sequimur, quatenus cum principiis euangelicae religionis potest conciliari.

§. XXVII.

Quatenus consistoria de criminibus clericorum cognoscere et statuere soleant?

In eo autem omnes fere ordinationes consistoriales conueniunt, ut distinguant, inter crimina clericorum propria et communia. Illa, quae etiam sub nomine excessuum in officio veniunt, coram Consistorio cognoscuntur, et deprecatione, multa, carcere, suspensione, et remotione puniuntur (*). Quoad communia vero clericorum crimina inter leuiores et atrociora distinguitur. De leuioribus criminibus, qualia sunt, quae poena ecclesiastica coerceri queunt, itidem coram Consistoriis agitur et statuitur. De grauioribus vero criminibus iudex criminalis ordinarius loci de-



licti commissi vel deprehensionis cognoscit, et poenam infert. Antequam vero iudex secularis ad inquisitionem contra clericum criminis grauioris reum inquisitionem formare potest, necesse est, vt clericus vel confessus vel conuictus, aut flagrante adhuc crimine fuerit deprehensus. Si iudicius, vel rumore publico solum grauatus est clericus, prima cognitio ad consistorium pertinet. Hoc vero, si clericum de crimine satis suspectum, seu ad specialem inquisitionem grauatum inuenit, eum ab officio suspendit, et iudici seculari ad vltius procedendum tradit (**).

(*) Confer. PERILL, A. L. SCHMID *instit. iurispr. eccles.* §. 278. 199.

(**) SCHRADER *de causis fori eccles.* cap. III. §. I. p. 544. STRVV AD MATTHAEI *de iudiciis* p. 20. CARPZOV *jurisp. Consistor.* Lib. III. def. 5. MERIVS P. II. decif. 138.

§. XXVIII.

Sententia nostra ex ordinationibus consistor. illustratur.

Ad probationem eius, quod paragrapho antecedente diximus, liceat hic inferere quaedam loca ordinationum consistorialium. In ordin. Consistoriali Augusti Elect. Sax. haec sunt verba (*): *Jedes Consistorium und desselben Assessoren haben von Uns nicht allein Macht und Gewalt, die irrigen Sachen zu entscheiden - - sondern auch auf gebührende Maas zu strafen, und ausdrückliche Poenen zu sprechen. Dann ob sich wohl ihr Erkenntnis auf Leib und Leben nicht erstrecket, welches den Gerichten der weltlichen Obrigkeit vorbehalten, so sollen sie doch nichts destominder zu Beibaltung christlicher Zucht, ciuiles poenas, nemlich Geldstrafen - - auch Gefängnis zu sprechen, hiermit von Uns Gewalt und Macht haben.*


Simili

Simili modo in ordinatione politica dicitur (**). Und weil vors andere vermöge der 1580. publicirten KirchOrdnung sub Tit. von Immunitäten und Freyheiten der KirchenDiener, die Schul- und KirchenDiener alleine in RealKlagen und hohen Freveln und MalefizSachen, nicht aber in SchuldHändeln und andern Actionibus personalibus, vor der weltlichen Obrigkeit belanget werden können, mafen dann solches bisber in unsern Consistoriis gehalten, als lassen wir es bey erwähnten Verordnungen, Recht und Herkommen, billig bewenden. In Ducatu Altenburgico de clericorum causis criminalibus sequens extat dispositio (* *): So viel aber derer Pfurrer und Schulmeister eigene Person, derer Weiber und Kinder, so an der Eltern Brod, anlanget, bleiben solche in leuioribus delictis billig unter des Consistorii und geistlichen Iurisdiction; in Fall aber einer oder eines von denselben durch des Teuffels Antrieb sich soweit vergienge, daß es in groben Lastern, als Zauberey, Mordbrennen, Brandbriefe austreuen, Strassenraub, Todschlag, Ehebruch oder grossen und überzeihen Thaler erstreckenden Diebstal, und zwar flagranti adhuc crimine, und über der That selbstn betreten würde, mag die weltliche Obrigkeit denselben zur Haft bringen, und nach ausweisung der Rechte wider ihn Verfahren, jedoch, damit wegen Versorgung des Amts Anstalt gemacht werden könne, alsobald an das Consistorium berichten. Da aber ein solcher Verbrecher nicht auf kundlicher frischer That betreten würde, sondern nur indicia vel rumor publicus vorhanden, sollen die GerichtsHerrn es zu vor an besagtes Consistorium bringen, und ehe sie etwas hierinnen vornehmen, Bescheides gewarten. In ordinatione process. Magdeburgica (* * *), legimus, quae sequuntur, verba: Wenn ein Prediger ein delictum leue begehet, welches nur eine Ciuil. Strafe an Gelde, Gefängnis, die Suspension, oder bloße remo-



tion ab officio, nach sich ziehet, soll dessen Untersuchung und Bestrafung denen zur Regierung und Consistorio verordneten Canzler und Rätben allein gelassen werden, und ohne derselben erteilte Commissionen, die weltliche GerichtsObrigkeit sich hierinnen nichts anzumassen haben. Dafern aber ein Priester ein atrocus delictum, so sein Amt nicht betrifft, und regulariter mit LandesVerweisung, oder am Leib und Leben bestraffet zu werden pfleget, begangen zu haben angeschuldiget würde, wird des Orts ordentlichen weltlichen GerichtsObrigkeit verstatet, daß selbige wieder den berüchtigten Prediger summarische Erkundigung einziehen, die diesfalls gebaltene Registraturen zum rechtlichen Erkenntnis verschicken, und sich, ob die SpecialInquisition statt habe oder nicht? belehren lassen mögen, jedoch auf den Fall erkannter SpecialInquisition verbunden seyn, die Acta nebst dem gesprochenen Vrtheil zur Regierung und Consistorio des Herzogthumbs Magdeburg zu dem Ende einzuschicken, damit von denenselben der delinquierende Pfarrer vorhero ab officio suspendiret werde, nach dessen Erfolg die weltliche GerichtsObrigkeit mit der SpecialInquisition, nach Anleitung der Rechte, und sonderlich dieses Capituls der Proceßordnung gegen die Prediger verfabren, und wann solche vollführet die ergangene Acta mit dem eingebobleten Vrtheil zu ferneren Verordnung, wiederumb zu der Regierung und Consistorio eingeschicket werden sollen. Im Fall auch ein Prediger in flagranti delicto betreten würde, oder sich wieder ihn eine grosse Suspicio fugae herfürthun solte, ist der weltlichen Obrigkeit, selbigen zur Haßft bringen zu lassen, unverwehret, doch, daß die suspensio, degradatio et remotio ab officio, der Magdeburgischen Regierung und Consistorio lediglich verbleibe, und zu dem Ende, nach der Captur, solche alsofort an selbiges schriftlich berichtet werde.

Ordi-



Ordinatio consistorialis Hildesienſis diſponit (†): *die Prediger, ſ
 mögen ex contractu oder delicto oder auch Amtswegen beſproch
 werden, ſind vor den Conſiſtorio zu belangen, allein die crimin
 atrocita ausgenommen, welche eine degradation oder poenan
 corporalem nach ſich ziehen. In ordinatione Conſiſtoriali Po
 meranica cauſae criminales, quas poena corporis adficiūta
 ſeu capitalis ſequitur, eximuntur a Conſiſtoriali iuriſdictione
 (††). Caeterum adhuc notandum, quod pleraque Conſi
 ſtoria Euangelicorum principum ad exemplum Saxoniorum
 ſint formata, et quantum nobis conſtat, crimina grauiora in
 terris Euangelicorum Conſiſtorii Iuriſdictioni non ſubſunt,
 quippe cui in regula merum imperium denegatur.*

(*) *Verordnung von beyden Conſiſtoriiis zu Leipzig und Wittenberg auch
 den Ober-Conſiſtorio zu Dresden §. X. apud Lunig Codic. Aug. P. I.
 p. 637. ſq.*

(**) *de anno 1612. tit. von Conſiſtorialſachen.*

(***) *Altenburgiſche LandesOrdnung P. I. C. 2. tit. 3.*

(****) *Cap. 50. §. 20. 21. 22.*

(†) *Ordin. Hildes. Conſiſt. de anno 1678. tit. 5.*


(††) *locus, qui huc pertinet, legitur apud MEVIUM P. III. deciſi 257.
 nota 6.*

§. XXVIII.

*Specialis inquisitio coram iudice ſeculari peragitur eaque
 durante clericus ſuſpēditur ab officio.*

Si clericus de crimine quodam atrocioſiore ſuſpectus qui
 dem, aſt nec confeſſus, nec conuictus eſt, conſiſtorium qui
 dem ſummaryam inquisitionem inſtituit, et contra ſuſpectum
 procedit. Decreta vero inquisitione ſpeciali, quae deſenſione
 pro





pro ea auertenda declinari nequit, eius expeditio fit ab ordinario iudice, qui altam habet jurisdictionem, nisi forsan princeps extra ordinem per commissarios causam tractari velit. Nam Consistoria circa delicta ultra generalem inquisitionem procedere nequeunt, et eorum iurisdictio cessat, quoties specialis formanda est inquisitio (*). Simulac vero contra clericum ad specialem proceditur inquisitionem, ille ab officio suspenditur. Cum enim inquisitio specialis ob atrociora crimina contra eum, qui iudiciis fatis grauatus est, solum locum habeat, huiusmodi vero iudiciis grauatus sine scandalo officio fungi nequeat, imo generatim quilibet inquisitus durante inquisitione sit suspendendus ab officio, merito quoque haec suspensio contra clericum inquisitum procedit. Et quamuis LEYSERVS (**), statuat, suspensioni demum post responsionem ad articulos secutam locum dari posse, praxis tamen docet, eam plerumque ante responsionem ad articulos, simulac causa ad formandam inquisitionem specialem ad iudicium seculare remissa est, a consistorio decerni (**).

(*) STRYCK *ad Brunnemanni iur. eccles.* lib. II. c. 19. n. 29. BOEHMER *ad CARPZOVI praxin crim.* qu. 110. obs. 18.

(**) *specim.* 650. m. 9.

(***) CARPZOV. *iurispr. Consistor.* lib. III. *defn.* 115.

§. XXVIII.

Si a consistorio clericus ob leuius delictum remotus est, in foro seculari nulla poena locum habet.

De leuioribus clericorum delictis consistorium cognoscit et statuit. Hoc clericum, quem delicti cuiusdam infamantis reum inuenit, deponit. Sic ob stuprum (*), furtum, etiam par-



paruum (**), falsum, aliaque crimina infamantia, clericus ab officio deponitur. An vero in clericum ob crimen quoddam leue depositum iudex secularis etiam procedere, eumque poena, quam lex in crimen commissum statuit, adficere queat, disputatur. Nobis negatiua placet sententia. Nam per depositionem clericus jam poenam sustinuit (***) et duplici non debet adfici contritione (**). Et licet clerici delinquentes aequaliter cum laicis sint puniendi, aequalitas tamen intelligitur secundum proportionem geometricam, ita, vt quidem diuersam a laicis poenam, attamen aequale malum inferentem, interdum clerici subire teneantur (†). In delicta leuiora non alia ac mulctae, carceris, vel saltem relegationis temporariae, poena statuta est. Hisce poenis proportionata est suspensio et remotio ab officio. Sicque per hanc poena ordinaria non tam mitigatur, quam in aliam aequalem mutatur.

(*) LEYSER spec. 650. medit. 27. 29. IDEM ob solum stupri conatum, cuius fama percreebuit, clericum remouendum esse, statuit sp. 650. m. 32.

(**) c. vlt. C. 14. qu. 6. LEYSER l. c. m. 25. 26.

(***) CARPZOV *jurisprud. consistor.* lib. III. def. 115.

(***) c. 4. §. I. X. *de iudiciis.*

(†) a LEYSER spec. 650. m. 6.

§. XXX.


*Degradatio non ex necessitate, ast ex obseruatiā,
apud nos seruatur.*

Apud protestantes clericus in casu, quo de crimine atrociori nec conuictus, nec confessus, ast ad specialem inquisitionem grauatus est, ab officio suspenditur, et iudex secularis inquisitionem peragit, ac poenam statuit (§. 28.). Quae

F

quae





quae si vel corporis afflictiva, vel capitalis est, executionem praecedere solet degradatio. Hanc protestantes non ex necessitate retinent, quia character indelebilis, quem in sacerdote fingunt pontificii, apud nos non admittitur, nec degradatio eo fit sine, ut per eam clericus iudici seculari tradatur, quippe qui plerumque eum in sua habet potestate constitutum, et processum criminalem iam absolvit. Vnice ex antiqua, et iure Iustiniano iam approbata, observantia fieri solet degradatio. Solemnia vero in actu degradationis non ubique servantur eadem, et plerumque varia immiscuntur, quae papatum redolent (*). Illa, si clericus crimen confessus vel de eo convictus est, etiam ante inquisitionem et sententiam condemnationis fieri potest. Si vero clericus solum suspectus est, differtur degradatio, donec in poenam corporis afflictivam, vel mortis fuerit condemnatus, quo casu illa ante sententiae executionem peragitur.

(*) Conferatur I. H. BOEHMER *iur. eccles. protest.* lib. V. tit. 37. §. 124. seqq. von ROHR *Obersächsisches KirchenRecht* p. 335. 349.

§. XXXI.

Privilegium fori extendi solet ad clericorum uxores, liberos sub patria potestate constitutos et famulos.

Quamvis vero privilegium fori clericis competat ob statum clericalem, illud tamen ad personas quoque ecclesiasticas, ut et uxores et liberos, clericorum, imo quoque ad famulos famulsaque extendere solent (*). Haec sententia ratione uxoris et liberorum veritatis ratione non destituitur, aut quoad famulos ancillasque iure communi probari nequit (**).

(*) PYRRHING *iur. eccles.* lib. II. tit. 3. sect. 3. p. 73. FARINACIUS qu. 8. n. 87. WERMHER P. IV. obs. 12.

(**) FROM-

(**) FROELICH von FROELICHSEVRG *Com. ad C. C. C. lib. I. tit. 12. p. 37. SCHRADER de causis fori eccles. c. 2. §. 4. LVDOVICI ConsistorialProceß cap. V. §. 4.*

§. XXXII.


Quisnam iudex cognoscat de statu clericali.

Accidit quoque, vt dubium sit, an delinquens pro clerico haberi, et ad fori priuilegium prouocare queat. Decisionem huius quaestionis praeiudicialis ex mente pontificiorum sibi iure vindicat iudex ecclesiasticus (. 14.) (*). At haec sententia nimiam extensionem priuilegii clericalis inuoluit, ideoque plures affirmant, illam in protestantium iudiciis applicari non posse (**). Mihi distinguendum videtur, an iudex secularis delinquentem sub sua teneat custodia, an non. Ibi delinquens exceptionem fori priuilegiati opponere eamque probare omnino tenetur, et iudex secularis de ea cognoscit. Quilibet enim iudex de suae jurisdictionis competentia cognoscere et iudicare potest (**). Nec obstat dispositio iuris pontificii. Quia huiusmodi extensiones jurisdictionis episcopalis nostris iudiciis regulam dare nequeunt. In casu vero, quo iudex secularis delinquentem sub sua custodia non habens eius traditionem vrget, cognitio denegari nequit iudici ecclesiastico.

(*) adde LANCELOTTVM *instit. iur. canon. lib. III. tit. I. §. 1.*

(**) ZIEGLER et THOMASIVS *in notis ad textum allegatum Lancelloti LVDOVICI ConsistorialProceß p. V. §. 26.*

(***) L. 5. D. de iudiciis.


 PRAENOBILISSIMO IVRIVM DOCTORANDO
 CHRISTIANO GVILIELMO MELIS

G O T H A N O .

S . P . D .

D. IO. AVG. HELLFELD.

Archiepiscopus quidam in regno Castiliae sutorem, hominem innocentem, neci dederat, et accusatus a necati filio apud clericum, cum factum excusare non posset, condemnatus est, ut per annum integrum a sacro munere, saluis tamen redditibus et beneficio, sit suspensus. Accusator, cum aequiorem sententiam obtinere non posset, Archiepiscopum solemni pompa incedentem obruncauit. Causa deinde ad Regem Castiliae Petrum, quem crudelem vocant, delata, hic, prout ex Gallico autore *d'Orville* refert LEYSER sp. 650. m. 7. homicidam, necis paternae vindicem, per annum integrum suo officio et officina interdixit, addita comminatione, et declaratione: si intra hoc tempus calceum confuis aut crepidam in manus fumis, grauiter in te animaduertam. Ne tamen interea fame pereas, et sic merita poenae subtraharis, mille aureos TIBI ex redditibus archiepiscopi, quem improbe necasti, in alimoniam assigno. Injusta et ridicula videri potest haec sententia. Ast nescio, annon illa ex vulgari regula: quod quisque iuris in alterum statuerit, iustitiae quandam speciem accipiat. Sane principia, quae canonistae circa clericorum delicta et poenas probant, pro defendenda huius sententiae iustitia facere videntur. Iniqua haecce principia destruit, TUA, DOCTISSIME CANDIDATE, disputatio. Illa egregium est documentum TVI ingenii et iudicii, ut et TVAE diligentiae, qua Legum studio in nostra incubuisti academia. TIBI igitur de primo hoc eruditionis TVAE specimine publico gratulor et condigna studiis TVIS haud vulgaribus apprecor praemia. Vale, mihi que faue. Dabam d. xv. Octobr. MDCCCLXXI.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO.
 SVMMORVM IN IVRE HONORVM
 CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.
 D. IO. AVGVSTVS REICHARDT.

P. P. O.


Tanta est amoris, quo me hucusque es dignatus, vis atque virtus, ut dulcissimam, qua tecum sum coniunctus, amicitiam, violare videar, si exoptatam hance occasionem, qua publice testificari possum, quo animo erga te sim affectus, praetermittere vellem. Illuxit enim dies, quo praestantissimae TVAE doctrinae laudibus corona quasi imponitur; dies, quo in summos te evedtum video honores, ad quos capessendos iam dudum TIBI parauisti aditum. Maxima igitur affectus laetitia spartam, benigniter mihi demandatam, in me suspicio, ac simul ex sincerrimo animi affectu de egregiis hisce doctrinae TVAE proemiis, TIBI gratulor. Gratulor de eximio eruditionis specimine, quo laudem atque gloriam, in medio iam positam, admodum firmissimam reddes. Gratulor de laurea, quam ex certamine deportabis, atque honoribus summis, qui tanquam eruditionis TVAE praemia TIBI tribuuntur. Praepotens illi huius vniuersi moderator etiam imposterum TIBI adspiret, ita ut nunquam non quaeuis ad voluntatem fluant, prosperrimisque rebus fruaris. Dab. Ien. d. XIII. Octobr. MDCCCLXXI.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 CANDIDATO

S. P. D.
 D. HENR. GODOFREDVS SCHEIDEMANTEL.

P. P.

Quo magis passim negligitur studium iuris ecclesiastici, rarefcuntque illustres canonum doctores, eo magis laudandi sunt illi, qui hanc iurisprudentiae partem pro statu nostrorum temporum non modo necessariam, sed iucundam quoque colunt, hisque instructi prae-



praesidiis forum conueniunt bene praeparati. Quae quum ita sint, mirifice sane delector, TE VIR CLARISSIME, iura ecclesiae multa cum diligentia pertractasse, ac scientiae inde adquisitae publica iam exhibere testimonia. Gratulor igitur TIBI de summis in iure honoribus, quos inde es consecuturus, simulque opto vt D. O. M. omnia vertat feliciter, lautissimamque TIBI concedat legum ad facta adplicationem; ego vero TVAE beneuolentiae de meliore modo me commendo. Dabam Ienae d. XIII, Octobr. A. O. R. MDCCCLXXI.



CONSULTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.

GEORG. CHRISTOPH. GVILIELM. VOELKER.

SAXO-VINARIENSIS ET ALTENBURGICVS ADVOCATVS.

Eximias te in legitima scientia fecisse progressionem, doctus monstrat, quem eruditus proponis, libellus. Quapropter merito TIBI summos Themis in iure utroque impertit honores. Hoc decus tamquam promeritum solertiae ac ingenii domi forisque probe culti praemium quilibet TVI studio TIBI gratulatur, inprimisque ego, quem amicitia TECUM copulat, quem dissentientem eligere et doctrinae, qua libellum inauguralem defensusus es, facere participem voluisti, iure quodam meo et officio gratulor, impense optans, vt supremum numen scientias TVAS et TIBI et orbi literario reliquaque salutare esse iubeat, ac te omni fortunae genere beet. Denique TVO me fauori et beneuolentiae diligenter commendo. Scribebam die XII, Octobr. MDCCCLXXI.



Jella, Diss., 1770-71



W 18





1771, 6^{te} 13
33

DISSERTATIO INAUGVRALIS

DE

SECVLARI IVRISDICTIONE
IN CLERICOS DELINQVENTES

EX DÉCRETO II
P
D. IO. AVOC

P
CONSILIARIO INTIM
CVRIAE PROV
ET

PRO SVMMIS IN VTR
DOCTORALIBVS RI

DIE X

CHRISTIAN

LIT

